

Ya
6200



Inhalt:

- 1., Kaendler, Chr. Glo., Lutheri de incremento academiae Erfurtensis
vaticinium. Lips. 1756.
- 2., ^{Pelin} ab Hartenselss, Ge. Chp. Petr., Jubilaeum s. festum seculare tertium in alma
Hierana indicit. Erford. 1692.

V. 2^h F.

(cat. 4, 65.)

Σὺν Θεῷ παλάμη!

2

* * * * *
 * seCVLa LabVntVr : taCitèqVe senesCit Hleræ , *
 * Io ! VetVs , ast VIrIDans, fLorIDa, Læta sChoLa. *
 * * * * *

QVOD ITA QVE SUPREMUM NUMEN FELIX FAU-
STUM QVE ESSE JUBEAT!

QVOD IN IMMORTALEM DIVINI NOMINIS GLORIAM ;
 QVOD IN ACADEMIÆ HUIJUS PERVETUSTÆ INCREMENTUM ;
 QVOD IN OMNIUM CIVIUM ACADEMICORUM EMOLUMENTUM
 ATQVE ORNAMENTUM AUSPICATÒ CEDAT !

JUBILÆUM,

SEU

FESTUM SECULARE TERTIUM,

IN ALMA ELECTORALI HIERANA,

*Postquam illa per DEI T. O. M. gratiam integra tria
secula feliciter nunc superavit ,*

HELICONI ERFFURTENSI,

Omnibus Musarum PATRONIS & FAUTORIBUS, Civibusque
 Academicis hõc ipsò intimat, atque à Magnifico Domino RECTORE prope-
 diem eligendo ac inaugurando solenni ritu mox adornandum
 & celebrandum indicit

GEORGIUS CHRISTOPHORUS
 PETRI ab *Hartensels* /

Medicinæ Doctõr , Sacri Palatij Cæsarei Comes, Archiater
 Electoralis Moguntinus , Consul & Physicus Erffurtensis,
 Fac. Med. Senior, P. P. P. L. C. &c. p. t.

ACADEMIÆ RECTOR.



2.

* * * * *
 * seXagInta VetVs sVperat , proh ! LVstra LyCæVM, *
 * seCLa CVI totò peCtore sera preCor. *
 * * * * *

P. P. Dominicâ Jubilate , d. 17. (27.) Aprilis , Annò Æræ Christianæ ∞ lpc xcii.

ERFORDIÆ , Stannò GROSCHIANO.

4.55

QVOD IN OMNIBUS CIVIBUS ACQUIRITUR EMOLUMENTUM
QVOD IN ACQVIRITUR HONORIBUS PRAESTANTISSIMIS
QVOD IN IMMORTALITATE DIVINI NOMINIS GLORIAM

JURIS AUREUM

IN OMNIBUS FACULTATIBUS UNIVERSITATIS
PRAESTANTISSIMIS HONORIBUS PRAESTANTISSIMIS

HEILIGEN ERBEN

Omnia iura in facul-
tate medicinae & pharmaciae
diagnosticando ac investigando solent in hoc alioquin
et celebrando consistit

GEORGII CHRISTOPHO PETRI ab *Wittenberg*

Medicine Doctor, Sacri Palatii Caesaris Comes, Archi-
diocesis Altonensis, Consiliarius & Physicus Electoralis
F. P. L. C. & P. C.

ACADEMIAE RECTO



Wittenberg, d. 17. Aprilis, 1717. Anno MDCCLXVII.
F. P. Domini Johanne, d. 17. Aprilis, 1717. Anno MDCCLXVII.





A & Ω.

Hiera, Salve! jubila!
totòque corde gaude!
Phoebus redit post nubila:
Sunt terna secla, plaude,
exacta: quartum labitur
Altissimi favore:
Festum Tibi parabitur
solenniore more!



Qvod olim in ludis secularibus Romani voce Præconis proclamari ad populum jubebant, illud & ego Vobis, PROCERES & CIVES ACADEMICI, jam significo: *Adeste, instat festivitas, quam nemo vestrum unquam vidit, nec porro visurus est.* Venite, exultemus *DOMINO*, illucescente nunc tertiò hujus perantiqva Academiae Jubilæò: Jubilemus itaq; *DEO* salutari nostro! Jubilate *DOMINO* omnis Terra! appropinquat enim nunc exoptatum illud tempus, quò festum natalitium habebit Universitas nostra, idqve non vulgare, non anniversarium, sed seculare, atqve sic planè singulare, & quasi novum, quod non nisi centesimò quòqve peragitur & frequentatur annò. Jubilare itaqve Vos jubeo, quos hactenus affixa Programmata ad gaudia & hymnos invitarunt. Salvete Mecænates, Musarumqve Fautores! jubilate & exultate, quos amor & cura rei literariæ nostriqve per vetusti tangit Athenæi! Venite, magnificemus Nomen Domini! annunciate inter gentes gloriam ejus: in omnibus populis mirabilia ejus: adoremus scabellum

edum ejus, quoniam sanctum est: Hæc est dies, quam fecit DOMINUS: ex-
altemus & lætemur in eâ, dicentes & exclamantes:

Io! eXorItVr annVs IVbILæVs In ACaDeMIâ ErffVrtensI.

Augustum hoc & eximium festum propediem celebrabitur immortali Numine
adspirante, supremis auspicijs Sacræ Cæsareæ Majestatis, cum nempe

IMperII notas LeopoldVs haberet habenas,
AVgVstVs, felIX, & sine fine pIVs.

Accingimur ad hæc sacra induktu Eminentissimi ac Serenissimi Principis ac Do-
mini, Domini ANSELMI FRANCISCI, Sacræ Sedis Moguntinæ Archi-
Episcopi, Sacri Romani Imperij per Germaniam Archi-Cancellarij & Principis
Electoris, Cancellarij hujus Universitatis perpetui, ac Domini nostri clemen-
tissimi: siquidem

IVbILat anseLMò sVb prInCIpe rItè VetVsta,
ter sChoLa Centenos exActos VInCIt & annos.

urò pariter consiliò sancit & indicit brevi affuturum hoc festum seculare
Academiæ Senatus amplissimus: nam

en! tibi ErffVrto CeLebrIs nostra VnIVersItas novâ VICE
festVM seCVLare ConCeLebrabIt.

Applaudunt meritò huic tertio Jubilæo omnes boni: nam soli Omnipotenti
DEO sit gloria, laus & jubilatio,

post felICItèr exActa terna seCVLa IVbILat
HerCInophorDIA, & nVnC IVre gaVDet.

Non verò celebrabimus festum seculare Ethnicum in ludis situm, & otiosis spe-
ctaculis, sed verè Christianum, idèò videlicet indictum, ut hujus antiquissimæ
Academiæ ortum, progressum, & per varios casus, per tot discrimina rerum ad-
mirandam DEI tutelam memori gratâque mente recolamus. Igitur

IVbILat IngenVè nVnC ErffVrtense LyCæVM,
aCCeLerat ternâ qVIn sIbI festa VICE.

æ pretium nunc erit, ut in antecessum de hujus Academiæ primordijs & incu-
nabulis, progressibus & incrementis, ejusque procellis & adversitatibus, imprimis au-
tem ejus Fundatoribus, Conservatoribus & restauratoribus non nihil edisseram, ea
quæ adhuc fortè desiderari possunt, futuro Magnifico Capiti nostro accuratius dis-
cutienda relinqvens: quod si verò non eò, quò decebat, ordine omnia peregero, spe-
ro, me facile excusatum iri, quippe cui ob varias interpellationes hæcenus nõ fui
integrum, omnia ex assè perquirere, atque Authores inter se valdè discrepantes ada-
missim conciliare. Ortum itaque Academiæ nostræ quod concernit, de illo diversa
Authores abeunt in sententias. Sunt enim non pauci, qui Dagobertum Francorum
Regem Universitatis hujus fundamenta posuisse asserunt, inter quos *Middendorpi*
de Acad. Orb. Terrar. l. 3. p. 524. *Elias Reusnerus in Isagog. histor. p. 108.* *Georgius Schönborn, l. 4. P.*
liti

litic. c. 4. Johann. Angel. Verdenhagen de Rebus p. Hanseat. p. 3. c. 7. in fine: Matthias Stephani in tract. de jurisd. l. 3. p. 2. c. 1. n. 21. Christophorus Helvicus in Theatr. Histor. R. P. Andreas Mendo, l. 2. selectar. quæst. de Academiis quæst. 4. alijque quamplurimi eminent: cum autem inter illos de tempore foundationis nihil certi constet, nemo nobis vertet vitio, si incertis illorum opinionibus nostrum non addamus calculum.

Sunt, qui Erfurtensem Academiam Annô 1390. conditam & instauratam ex Universitate Herbipolensi statuunt, eoque translata ob diuturna bella dicunt, in quorum censu est *Rittershusius in Catalogo Academiarum Germaniæ: cui adstipulatur Setbus Calvisius Oper. Chronolog. p. 1076. ex Trithemio referens*, ob bellum inter Episcopum & Würzburgenses ortum Academiam dissipatam Erfordiam concessisse, ubi à Magistratu urbis instituta, & à Bonifacio IX. Pontifice M. privilegijs & libertatibus fuerit donata: hæc autem Aô 1392. contigisse putat: idem sentit *Nicolaus Serarius l. 1. Moguntiacar. rer. p. 868. scribens*, Herbipolensem Universitatem Erfordiam Aô 1398. fuisse translata: cum autem hi Authores pariter ratione temporis inter se non conveniant, illorum asserta infirmô stare talô arbitror. Vir omni laude major *D. D. Job. Maurit. Gudenus*, piæ recordationis, in *Histor. Erfurtenf. l. 2. p. 122. credit*, erectæ Universitatis Erfurtenfis famam Studiosos Herbipolenses à civibus tum divexatos attraxisse, sicque illam non extinctam, sed desolatam solum ad tempus fuisse, donec à Juliô Principe postmodum restauraretur.

Ad instantiam Consulum, Proconsulum, Oppidanorum, Universitatis & communitatis Erfurtenfis concessa sunt à Clemente VII. Aô 1378. Academiae huic privilegia, id quod ex Bullâ Pontificiâ liquet: donec tandem sopitô atroci schismate, quod inter Urbanum VI. Romæ, & inter jam nominatum Clementem VII. Avenione sedentem intercesserat, declinante Clementis authoritate Adolphus Archi-Episcopus & Elector Moguntinus, Comes Nassovicus, magni animi & prudentis ingenij Princeps, junctis cum Civitate, & ad Urbanum VI. Pontificem directis precibus, Papalem consensum & immunitates impetravit, & felicibus auspicijs Academiam hanc stabilivit: quæ Privilegia Bonifacius IX. P. M. Aô 1396. novô Diplomate confirmavit, & ad preces Senatûs ac Academiae Cancellarium perpetuum, Decano & Capitulo B. M. V. ab Urbano VI. Aô 1389. concessum, Archi-Episcopo & Electori Moguntino assignavit. post paucos autem annos elapsos defunctô Adolphô Archi-Episcopus Johannes, itidem Nassoviæ Comes, Adolphi frater, cum paulô ante magnô cum apparatu introivisset Urbem, & à Civibus accepisset homagium, actu solenni Academiam hanc inauguravit, & primum Academiae Rectorem constituit Dn. M. Ludovicum Mülnerum, Arnstadiensem, Decretorum Baccalaureum, annô 1392. post Dominicam Misericordias Domini à Proceribus Universitatis ritu adhuc usitatô electum: cui postmodum successit

B

Virorum

Virorum supra omnem laudem positorum longa series, in quorum censu eminent Celsissimi Princeps, videlicet Henricus Dux Holstiae, Johannes Marchio Badensis, Johannes Princeps & Comes in Henneberg: Illustrissimi Comites Sigehardus, & duo Henrici, Comites de Schwartzburg: Bosso & Fridericus Comites de Beichlingen: Dietherus Baro de Isenburg: Mauritius Comes in Odenburg: Ernestus Comes in Holstia: Conradus Comes de Erpach: Henricus Ruthenus Comes ac Dominus à Plavia: Fridericus Comes in Zollern: Hojerus Comes in Mülingen & Barby: Philippus Comes à Solms, Dominus in Müntzenberg: Franciscus Comes de Waldeck: Hartmannus Burggravius de Kirchberg: Thomas Comes in Ryneck: Wilhelmus Comes in Hohnstein, Lohra & Klettenberg: imprimis Dietherus quondam ex gremio Reverendissimi metropolitani Capituli electus Rector: postmodum Archiepiscopus Moguntinus & Princeps Elector gloriosissimae memoriae: ut & post reductam urbem Reverendissimus & Perillustris Dominus, Dominus Philippus Ludovicus, Liber Baro de Reiffenberg, &c. die 3. (13.) Maji Anno 1666. electus: & primò tandem nobis humilimè venerandus locò Eminentissimus ac Serenissimus Princeps ac Dominus Dominus *ANSELMUS FRANCISCUS*, Sacrae Sedis Moguntinae Archiepiscopus Sacri Romani Imperij per Germaniam Archicancellarius, & Princeps Elector Universitatis hujus Cancellarius perpetuus, Dominus noster clementissimus Aò 1679. ex Proprincipe Rector, & brevi post, eòdem scilicet annò, *DEO* ita disponente, ex Proprincipe & Rectore Archiepiscopus Moguntinus & Princeps Elector creatus: cujus Serenissimae Celsitudini ut divinum Numen vitam & animos, Regimen felix ac tranquillum, & omnia, quibus Principes gaudent, animi & corporis dona ac bona caelitus largiri velit, ardentibus vovemus suspirijs.

Sub his tutelaribus Dijs ingens cepit incrementum Universitas nostra, continentq; matriculae frequentem numerum Theologiae, Juris, Medicinae & Philosophiae Doctorum, immò Principum, Comitum, Baronum, Nobilium, aliorumque qui ex diversis Academijs confluentes heic vel docuerunt, vel literis operam dederunt: hinc factum, ut ex hoc Musarum domicilio, tanquam ex eqvo Trojaeo, ingens copia illustrium Virorum Heroumque hucusque profiliens, Provinciis optimos Gubernatores, Ecclesijs eximios Theologos, Rebus publicis & Dicasterijs celebres Jurisconsultos, Civitatibus expertos Medicos, Scholis acutos Philosophos, & Studiolarum Juventuti fideles informatores in abundantia haetenu suppeditaverit: testanturque annales, Academiam hanc etiam ad Concilium Constantiense Aò 1417. evocatam eò ablegasse eximium Theologiae Doctorem Johannem Zachariae, Ordinis Sti Augustini: & à conditâ Universitate usque ad annum 1615. heic promotos esse 119. Theologiae; 40. Juris utriusque; 8. Medicinae Doctores; 1633. Magistros; 11809. Baccalaureos, exceptis Licentiatis, quorum magnus etiam est numerus: Imprimis memoratu digna est processio illa solenni

nis in inauguratione Doctorali duorum Patriorum Erfurtensium, videlicet Dnn. Johannis à Rheinboth/ & Johannis von der Sachsen/ Aò 1506. habitata, cui 271. Equites interfuerunt. Taceo actus Doctorales in omnibus Facultatibus hæcenus frequentissimè, & longè pluribus vicibus, quam in prioribus seculis hæc celebratos, quippe quod Orbi literato notissimum est.

Et ne deessent Candidati, olim diversa Collegia pro alimoniâ & habitaculis Studiosorum à venerandâ antiquitate fundata sunt & erecta: videlicet Collegium Portæ Coeli, quod Amplonius Rasingen vel de Fago, Rhenoberckensis, Med. Doctor, secundus Academiae Rector, paulò post conditam Universitatem, cum additâ instructissimâ, multisque raris Manuscriptis insigni Bibliothecâ, liberali sumptu, literarum studijs dedicavit: ex quo Collegio quotannis aliquot Stipendiati adhuc sustentantur: successit huic Schola Juris seu Collegium Juris Marianum, quod Henricus de Gerlstet, Decretalium Doctor, & Ecclesiae B. M. V. Decanus eleganter exstructum reditibus etiam ditavit: illud autem Aò 1472. in decantatò illo & Urbi ferè exitiali incendiò in cineres redactum, paulò post verò pristino iterum vigori restitutum est. Procedente tempore Collegij Majoris anterior domus lapidea diversorum Evergetarum liberalitate ædificata est: vetustate autem postmodum collapsa paucis abhinc annis Electoralibus sumptibus denuo integritati suæ reddita, & sic optimò jure *ANSELMINA* dicta: interior verò illa longa & lignea structura versus Orientem sita, Amplissimò Senatu cooperante & locum huic ædificio assignante annò 1547. exstructa est: cum autem Universitatis atque Facultatis Philolophicæ opes ad hujus operis complementum non sufficerent, plurimi Principes, imprimis autem Elector Moguntinus in subsidium vocati, pro suâ singulari in Artium cultores gratiâ & clementiâ suppetias suas liberalissimè contulerunt, Dn. Friderici Burdiani, tum temporis Rectoris, Viri de Universitate benè meriti precibus ad hanc munificentiam commoti. Fundatum porrò est superiore seculo, Aò scilicet 1521. à Dn. Tilomannò Brandis, Hildesio, J. U. D. Ecclesiae Hildesheimensis Cathedralis Canonico & Stæ Crucis in urbe patria Præposito Collegium Saxonicum, pro aliquot Collegiatis alendis destinatum: ad quod præclarum opus perficiendum Patronus jam laudatus 4000. Imperiales impendit: ad hujus Collegij autem structuram Academiae fiscus 200; Facultas Philosophica verò 300. florenos subministravit. Tandem Dominus Mauritius à Sode, Patrius Hannoveranus, SS. tæ Theol. Lic. & Philosophiæ Magister, Ecclesiae S. tæ Crucis Canonico Senior, ut & Cœnobij Mariæ Magdalenæ apud Hildesenses Præpositus dotem Collegij Saxonici Aò 1603. auxit 2400. Joachimicis. Pro pauperum Studiosorum subsidijs & habitatione infervit domus, Bursa Pauperum dicta, à Dn. M. Nicolao Kleivvitzio, Canonico Uratislaviense olim his usibus consecrata. Nec defuerunt Patroni, qui Facultati Philosophicæ subvenirent, inter quos primùm meritò sibi vindicat locum ve-

nerabilis quondam Dn. Johannes Picus, Abbas S. Petri, qui mille florenos annuatim comparandos annuos census pro augendis Professorum salarijs hilari & prompto animò Musis consecravit: sub cujus imagine in Stubâ Facultatis Philosophicæ positâ sequens legitur elogium:

Mille dabam salvò florenos corpore Musis,
Nec mihi quid reliquò tempore deerat opum:
Pauperior minimè donò reddebar ab isto:
Dives & ingrediens limina mortis eram:
Quin etiam mihi ne post fata pecunia desit,
à me, quæ Musis est data, sola facit.
Cætera Successor sua dicit haberqve talenta,
Illa bonis videor nunc quoque dona dare:
Illa meum servant Nomen: fortasse laterem,
cum multis, quorum Fama sepulta jacet:
Sed qui dote meâ ditescit Apollo quotannis
Johannem Picum laude carere vetat.

Annò 1498. Cassellanum Stipendium fundavit Conradus **Stein** / J. U. D. S. Rector è testamento **Werner** Ertmari, Canonici S. ti Severi. **Ad 1566.** Hartmannus Mackius Facultati Philosophicæ mille florenos legavit. Pro duobus Studiosis suæ familiæ **M. Henningus Hopffius** Germersheimensis stipendium 60. florenorum constituit **Ad 1572.** Crimnicente fundavit **D. Adamus Myricianus** Disputationibus Philosophicis circularibus præmia destinarunt **M. Wolffgangus Westermarus**, & **M. Johannes Erbes** Canonici **B. M. V.** Silentio involvunt plures Mecænates, quibus nihil fuit antiquius, quam ut de hac Rep. literariâ bene mererentur.

Floruit sic Universitas, quamdiu Civitas prosperâ sorte gavisa est: sed hæc fatò, disidijs intestinis, bellò, peste, alijsqve calamitatibus pressâ, illa simul multum perpeffa, & sæpè varijs malis obnoxia fuit. Ut plurimis in medio relictis nonnulla saltem recenseam, constat, **Ad 1510.** subortâ maximâ Civium Erfurtenfium seditione Collegium majus à quorundam factiosorum hominum rabidò furore invasum, duobus tormentis bellicis flagellatum, & tandem irreptum & ferè totum exspoliatum esse, ad eò ut Academici abitu meditante à Magistratu urbico retineri potuerint: subsequente postea Religionis alijsqve disidijs literarum studia hæc iterum valdè sunt collapsa: & quod notatu dignum, quamdiu Erfordia nullâ civili dissensione quassata fuit, tamdiu salva fuit Universitas: quoties verò discordia malorum omnium parens Civium incendi animos, toties in pejus mutata sunt omnia, ut sic nec vitæ tranquillitas Studiosis, nec literis sua sit relicta dignitas: quæ Academiae clades non paucis duravi annis, utut à diversis cordatis Viris fideliter pro ejusdem averfione fuerit desudatum, qui equidem non prorsus suâ spe frustrati sunt: nam **Ad 1533.** pristinas vire

resu

resumere, & ægrum caput aliquantulum erigere cœpit Universitas, largô stipendiô quibusdam præclaris Viris hûc à Magistratu accitis, qui ut corruptissimorum morum luem rudemque barbariem eliminarent, & Juventutem Studiofam artibus, disciplinis & bonis moribus imbuerent, nihil reliquerunt intentatum. Aô 1570. inter ipsos Studiosos pomum Eridos projecit nescio quis malus genius, subortis inter illos magnis litibus & controversijs, quas tamen Rector tum temporis Dn. *Wendelinus Zimmermann* / J. U. D. pijs adhortationibus, auctoritate suâ & dexteritate singulari decidit & feliciter compoluit.

Sed quid immoror disfidij in superiore seculo gliscentibus, cum in recenti adhuc hæreat memoria tumultus Civium intestinus Annô 1662 & 64. Universitati & multis Civibus Academicis valdè nocivus? quas persecutiones, quas minas nonnulli ex præcipuis tum perpesi sint, qualem virium corporis in tot vitæ periculis, & quam etiam fortunarum suarum fecerint jacturam, tam notum est, quam quod notissimum.

Hôc tempore Erfordia proscriptionis Cæsareæ fulmine tacta est cum gravi innocentis Universitatis, utut in bannô non comprehensæ, detrimentô: quomodo enim potuissent literarum florere studia in tumultuante Urbe, cujus incolæ non pauci tum eò dementiæ adigebantur, ut non Civis in Civem solum, sed obscurissimus quisque in Consules, Senatores, Sacrarumque rerum ministros atrocissimè sævire & invehere non dubitaret. Actum tunc videbatur & conclamatum de salute Biturgicorum, melioresque mentes precabantur, ut extra Erffurtum invenire Erffurtum sibi liceret. Verum divina benignitas extremum exitium à nobis procul abesse jusit, rebus eò directis, ut Civitate reductâ & à banno liberatâ omnia paulò post ad pristinam quietem redigerentur, & sub clementissimô patrociniô Eminentissimi ac Serenissimi Archiepiscopi & Principis Electoris *JOHANNIS PHILIPPI*, gloriosissimæ memoriæ, Universitas nostra simul etiam suo iterum vigori restitueretur, nullis periculis ob proscriptionem exantlatis, à quâ, ut modo dictum, immunis erat, quin potius ipsô proscriptionis tempore creaverit Doctores, & novis ijsque maximis ornamentis, cooperante suprâ laudatô Principe, multò quàm unquam luculentius enituerit.

Non defuerunt etiam tempora, quibus sævientis Bellonæ rabies Academia huic non parvam intulit cladem: imprimis notabilis est tumultus ille Rusticorum, qui Aô 1524. contigit, toti Germaniæ, atque sic etiam Erfordiæ ejusque Academiae gravis, & propemodum funestus: in quâ seditione agricolæ quasi in furias acti, Urbem ingressi, inter alia facinora, quæ heic commemorare non libet, multorum Academicorum & Clericorum ædes depopulati sunt: his Corydonibus à fanaticis quibusdam nebulonibus persuasum erat, Magistratui non obediendum esse, se liberos esse ab omnibus legibus & oneribus, sylvas, agros, prædia, vineas & villas, omnia denique esse communia omnibus: nec esse dependen-

dos census, & ut paucis multa dicam, quidvis impunè licere singulis: cum tamen Christiana libertas sit spiritualis, quam rudes isti homines in occasionem carnis dantes, Magistratus à DEO ordinatos abolere intentabant, justò tandem DEI judiciò reportantes mercedem suam, siquidem annò sequente in Thuringiâ, Hassiâ, Saxoniâ, Sveviâ, Franconiâ & Alsatiâ ultra centum millia sunt occisa.

Similiter Aò 1539. tempora erant maximè turbulenta, multis Principibus inter se bello commissis, & pace per Germaniam miserè vacillante, immò exulante, Scholisqve omnibus ruinâ imminente: Id quod etiam accidit Aò 1546. quò alienissimò Reip. tempore tota tumultuabatur Germania, propter quam immanem temporis atrocitatem Civitas hæc cum suâ Academiâ quam maximè erat consternata.

Annò 1551. literariæ Reip. tanta fuit hæc perturbatio, quanta vix unquam: cum enim Erfordia tunc obsideretur ab hostibus inopinatis, eamqve Magistratui armatâ manu defendere incumberet, & milites stipendiarios hunc in finem conscribere urgens necessitas postularet, accidit præter spem, ut magna pars eorum, qui optimarum scientiarum addiscendarum causâ huc confluxerant, invitis Parentibus & Præceptoribus in tantam prorumperent audaciam, ut militiæ addicti vitam suam venum exponere pluris æstimarent, quam bonis artibus ac disciplinis, ad quas addiscendas huc à suis missi erant, ulteriorem operam navare: quorum petulantia postmodum non tam in hostes, quam commilitones, immò & Præceptores suos erupit: quam tamen Rector tum temporis Dn. Wolfgangus Westermorus, B. M. V. Canonicus pro suâ prudentiâ ita compescuit, ut prius immorigera juvenus ad meliorem frugem rediret, atqve iterum in ordinem redacta tranquilliore more viveret.

Sexenniò posthinc vix exactò Musarum Erfurtenesium sacra ob injuriam temporum sat diu irreverenter habita tantum non periêre, quæ tamen Aò 1563. iterum emergere cæperunt sub Rectoratu Pancratij Helbigij, Med. Doctoris, qui in nullam rem majore industriâ incubuit, quam in inclinatæ & ferè derelictæ Academiæ instaurationem: quem in finem nulla onera, nullos labores subterfugit, quos Reip. literariæ profuturos cognovit: disciplinæ leveræ custos statuta Universitatis emendavit & renovavit, revocatò simul antiquo more visitandi Collegia. Non autem diuturna fuit hæc felicitas; siquidem brevi post, nempe Aò 1566. Academia recidivam passa, exorto armorum strepitu valdè concussa & ad incitas ferè redacta est, præsertim in bello Gothicò, quod incidit in annum subsequenter 1567. in quo arx Grimmensteincapta & diruta est.

Nec annò 1610. quo itidem varijs in Germaniæ locis crepuerunt arma, & dura simul fuit annonæ caritas, ortis juxtim incendijs & inundationibus, Academia nostra egit dies halcyonios, adeò, ut non pauci de corpore illius coacti fuerint alienos sibi in auxilium vocare Joves: quæ calamitas Aò 1620. adhuc durante bello

bello Bohemicô & monetâ fucatâ non parum presit Academicos, toto prope-
modum Romanô Imperiô turbis bellicis concusso, multisqve ejus Urbibus va-
statis & direptis.

Porrò non modicæ fuerunt rerum omnium difficultates A^o 1627. ita, ut
studij literarij jugulum omninò peti videretur: imprimis anno 1635. fervente, &
sequentibus annis continuato bellô Svecicô, post tot Provinciarum desolationes
tantam cladem passa est Universitas, ut quamplurimi juvenes à literis planè abi-
gerentur, & post adventum Gustavi Adolphi Svecorum Regis ex Clericis pleri-
qve hinc, quidam etiam ex vitâ exirent, pauci latitarent, ut tandem Facultatem
Theologicam unus tantummodo Theologus repræsentaret, quo paulò post pe-
stiferâ lue extincto Facultas hæc ad tempus siluit, accersitis autem aliunde alijs
Theologis brevi post iterum exulta: quod fatum pariter expertæ sunt reliquæ
Facultates, prorsus ferè tum derelictæ, quibus tamen Amplissimus Senatus no-
ster urbanus, quamvis ipsius ærarium per sangvisugas militares valdè exhaustum
esset, deesse noluit, sed suppetias, quantum inter tot Civitatis ærumnas possibile
erat, singulari munificentia tulit: vix tamen se penitus potuit recolligere Acade-
mia ob diuturnum istud bellum, & per multos annos heïc subsistens militare
præsidium Svecicum in tam angustas copias redacta, ut A^o 1643. sub Reçtoratu
magni illius J^o C^oti Rennemanni intervallò unius anni mecum saltem viginti Stu-
diosi matriculæ insererentur. Taceo nunc bevitatis studio bellorum motus alios
& tempestates Germaniæ sævisimas, à quarum violentia divina benignitas hanc
Academiam sub umbrâ alarum suarum clementissimè custodivit, & velut annu-
lum signatorium in manu suâ, immò ceu pupillam oculi defendit, maximo &
& nunquam satis deprædicando beneficiò. Tantæ molis erat, ut Athenæum
hoc ex istis bellorum furoribus emergeret: stetit tamen, & adhuc stat salvum &
incolume, nec hæctenus truculento Marte ad Rhenum potissimum & Danubi-
um immane quantum sæviente inter hostilia conticuit arma.

Nec minora mala sustinuit Universitas dirâ peste heïc grassante, id quod ali-
quoties accidit, nempe A^o 1484. quo plurima membra Academica partim occu-
buère, partim hinc inde dispersa sunt. A^o 1505. pestilens rabies Erfurtenles Mu-
las iterum turbavit & fugavit: quæ A^o 1517. denuò recrudescens Academia valdè
nocuit: quod similiter contigit A^o 1541. A^o 1564. tantoperè sævijt pestifera lues, ut
propter discessum Reçtoris integro anno capite careret Universitas: A^o 1576. ut
& A^o 1582. pestis rursus Erfordia grassata multos prostravit: imprimis autem tristis
& luctuosa clades heïc & in finitimis locis facta est A^o 1597. quæ primò Vere inva-
dens, subsequente æstate duplicatò vi æstûs contagiò, Urbem miserè depopu-
lata est: autumnò verò quotidiana funera & repentina mors ob omnium oculos
esse: undiq; dies & noctes ploratus audiri: mortui ægros, ægri validos, cum
metu, tum tabe ac pestiferò corporum odore conficere: quid multis? 7767. ho-

mines intra Civitatis hujus muros horribili hōc malō oppressi & deleti sunt, quorum in numero multi fuerunt Musarum filij.

Omniū verò atrocissima fuit illa strages, quæ Aō 1683. oppidum hoc & vicinum territorium horrendum in modum affligens, Academiam nostram præclaris Theologis, Professoribus & Studiosis; Urbem ferè decem millibus, Territorium verò Erfurtense 3025. inquilinis; me autem, proh dolor! unicō & bonæ spei filio truculenter spoliavit: quāvis expositus tūm fuerim periculis, novit DEUS, cujus gratia me cum conjugē sospitem servavit & salvum: testantur illi, quibus in extremō vitæ discrimine propriæ salutis immemor, (quod ἀσπανάτως dixero,) fideliter adstiti: recondidit tandem placato Supremo Numine gladium suum in vaginam Angelus vastator, pluribus tamen ex gremio Academiæ nostræ desideratis, atque ē medio sublatis.

Et hæc fuerunt fata satis sinistra, quæ studio nostro generali sæpius obicem poluere, & reiteratis vicibus non levem injecerunt remoram: tantum autem abest, ut semper illud aspera presserint mala, quin potius prosperior identidem affulserit fors, & latior subinde ariserit rerum facies: id quod præprimis accidit post restauratam in Romano Imperio pacem Aō 1648. quo tempore, auspicijs Sacræ Cæsareæ Majestatis, sollicitante Eminentissimo Archi-Præsule Moguntinō JOHANNÉ PHILIPPO felicissimæ memoriæ, consulendum erat etiam Universitati nostræ per diversorum Principum deputatos & denominatos Executores, quibus nihil fuit antiquius, quam ut Resp. politica & literaria in eum statum, quem Aō 1624. habuerat, iterum redigeretur: quò fine obtento post aliquot annos jam laudatus Elector reductâ Civitate omnium rerum potitus, & in hanc Urbem ingressus, Proceribus Academicis Eminentissimæ ipsius Celsitudini de rebus prosperè gestis humilimè gratulantibus clementissimè pollicitus est, se in id unicè incubiturum, ut studia pristino flori & vigori restituerentur: quod brevi post etiam effectum dedit, salariis honestis pro docentibus constitutis, accitisque variorum exercitiorum, etiam equestrium Magistris, ut sic omnibus rebus in ordinem compositis Academia respirare, latioremqve speciem præ se ferre cæperit, atque, ut olim Julius Cæsar dixisse fertur, Romam se accepisse lateritiam, & relinquere marmoream, ita & hic omnium seculorum memoriâ dignus Princeps de se verè gloriari potuerit, quod invenerit Universitatem opis indigentem, eamque reliquerit pulchrè florentem, & omnibus necessariis instructam.

Hujus vestigia pressere laudatissimi Domini Successores, gloriosissimæ memoriæ ad unum omnes: quibus successit altissimè memoratus Eminentissimus ac Celsissimus Princeps ac Dominus, Dominus ANSELMUS FRANCISCUS, Sacr. Sed. Mog. Archiepiscopus & Princeps Elector, Dominus noster clementissimus, cujus Electorali munificentia atque sumptibus Ædes nostra Academica seu Collegium majus vetustate collapsum, & jamjam ruinam minitans reedificatum,

catum, priore longè splendidius conspicitur, cum Auditorio majore eleganter superiore annò renovatò: cui summo nostro Mecænati divina clementia ex alto ditissimè benedicat: hic enim post *DEUM* nobis hæc otia fecit: hujus clementissimò indultu Academia hæc celeberrima novum Magnificum Rectorem consecuta quamprimum solenniter adornabit, quod jam publicè indico, tertium festum seculare seu Jubilæum: ad jubila itaq; Vos voco atqve invito, Cives Academici, & ut *DEO* salutari nostro mecum jubiletis, author sum: Jubilet itaqve *DOMINO* omnis terra: Jubilate omnes in conspectu *DOMINI*: lætentur Cœli & exultet Orbis terrarum, & qui habitant in eò. Confitemini *DOMINO*, quoniam bonus: quoniam in æternum durat misericordia ejus.

Agamus Omnipotenti *DEO* gratias immortales, quod Lycæum hoc hucusque per tot pericula conservaverit sartum tectum: supplicibus à divinâ Majestate contendamus precibus, ut confirmet hoc bonum, quod operatus est in nobis, & porrò usque in sera secula custodiat Universitatem hanc pervetustam: respice de cœlò *DEUS* virtutum, vide & visita vineam tuam, quam plantavit dextera tua: dissipantes, quæ bella intendunt: prosterne hostes, qui sanguinem sitiunt: tolle remoras, quæ liberalia studia sufflaminant: averte propitius calamitates quæ nobis imminent. Exsurge, *DOMINE*, & dissipentur inimici tui: fugiant à facie tuâ, qui oderunt Te. Tuere difficillimis hisce temporibus Eminentissimum Principem, nutrimum ac Dominum nostrum clementissimum, cum Serenissimo ac Celsissimò Principe ac Domino, DN. *LUDOVICO ANTONIO*, &c. &c. Archiepiscopatus Moguntini Coadjutore, &c. Domino nostro clementissimo, Reverendissimo item Capitulo Moguntino, Dominis nostris gratiosissimis: Solpita, protege & fulci ope tua Regimen Electorale & Magistratum urbicum: & porrò benedic cœlitus Scholæ huic antiquissimæ, laboribusque in eâ docentium & discipulorum: concede nobis & posteris nostris, ut Te æternum Patrem, cum filio tuo unigenito, & consubstantiali Spiritu rectè agnoscamus, & per omnem ætatem devotè colamus, donec ex hac miseriarum valle in cœlestem Academiam translati festum non amplius seculare, sed æternum cum perenni jubilo celebremus jubilæum, cum innumerabilium Angelorum cœtu, Spiritibusque justorum & primogenitis, quorum nomina in cœlis inscripta sunt, Sacrosanctæ & individuae Monotriadi infinitas laudes cantaturi, cui sit laus, honor & jubilatio in infinita secula! Finio cū pio voto:

Vrbls HlerlLVæ DeCVs hæC sChoLa CLareat VsqVe,
DoneC Hlera pater rVra rlgabl r aqVIs.

*N*il sub sole novi: commune est lemma: sed ecce!
Omnia jam nova sunt: quæ nunquam visa, videmus:
Audimus, quæ non ex nobis audiet ullus
Amplius: ergò aures nunc arrige quæso, Viator,
Quem fortassis amor, rerumque cupido novarum,
Tangit, & Aonidum non languida cura Sororum:
Sacra salutabis quamprimum limina quisquis,
Aspice, quæ tibi non iterum spectare licebit,
Nestoreos nisi fortè *DEUS* te servet in annos.
Hæc est illa dies, albò signanda lapillò,
Disponente *DEO*, quæ per statera sidera Mundi
Nunc ter centenos revolutus it annus in annos,

D

Pieridum

Pieridum gremio terni puncta ultima secli
Expediens, & puncta simul primæva quaterni.
Sed quibus auxiliis, quæris, sint illa peracta?
Accipe pauca: DEUS nobis hæc otia fecit,
Qui sator atque Stator verè cluet estque Scholarum,
Unus cuncta movens, causarum maxima causa,
Cujus erit nunquam finita potentia Regni:
Qui super astringeri tabulata nitentia Templi
Gymnastarcha sedet, Possessor & arbiter Orbis,
Omnia cui parent, hominum qui dirigit actus:
Cujus pro meritis æterna solutio non est
Solvendo, licet hi, qui debent, omnia solvant.
Hinc quia tot vetus hæc Academia computat annos,
Incipit & quarti renovata volumina secli,
Perstat, & à variis non est absorpta procellis,
Non opis humane est: operum manifesta patescunt
Argumenta DEI: DEUS hæc effecit: & huic nos
Offerimus laudes, & ab imò pectore grates,
Quas tamen baud dignas nos posse referre fatemur:
Ut desint vires, tamen est laudanda voluntas.
Mens divina solet generis miserescere nostri,
Quando conamur dare, quod non possumus unquam.
A DOMINO sic nostra salus proficiscitur, illi
Omnia debemus, cujus moderamine nostra
Stat Schola, ab antiquis olim fundata Patronis,
(In quorum numero micat inclytus Ordo Senatus,)
Sumptibus haut parvis, quorum palmaria semper
Cura fuit, celebri famâ super æthera notos
Huc accire Viros, quorum Studiosa juvenus
Artes & linguas vivò sermone doceri
Posset, & egregiis formari moribus aptè.
Indultus Clemens cognomine Septimus addit,
Sextus & Urbanus Romanus Præsul, ut illud
Pontificum bulle testantur: at à Dagobertò
Francorum stabilita quod hæc Academia Rege
Sit quondam, ambiguum est: dubie sententia menti
Displicet hæc: non est melioris ut illa farine,
Quæ docet, Herbipolæ translata esse Camenas
Erffurtum: posuere magis fundamenta tanta,
Nassovia Comitum de stemmate natus Adolphus,
Mogunti Præsul, Princeps Elector, & ejus
Frater Johannes, simili diademate fulgens:
Huc nostro primâ vice confirmasse Lyceo
Rectorem constat: Ludovicus Mülner a vitum,
Illi nomen erat: series quem longa sequuta est
Et præcelsa Ducum: Comites multique Dynaste
His successerunt: mens his fuit omnibus una,
Purpureâ magmenta probè sub epomide nostræ
Procurare Scholæ: quorum vestigia tandem
Elector presit summâ mihi laude canendus
Princeps ANSELMUS FRANCISCUS celsa columna
Romani Imperij, nostri ardua gloria Pindi:
Qui benefactorum cumulis recreavit Athenas

Has, ferè collapsas pulchrè reparando ruinas
 Collegi, Veteres quod majus jure vocarunt
 Ob latum spatium, vel ob Auditoria magna:
 His ita perfectis porrò superaddidit amplò
 Æqua Professorum meritis stipendia sumptu,
 JOHANNIS motus largâ pietate PHILIPPI
 Præsulis egregij, quem secula nulla tacebunt,
 Quemq; ego vix potero sat honorò extollere versu:
 Doctò ab Apelle boni pingatur Principis icon:
 JOHANNEM pictum dabitur spectare PHILIPPUM:
 Illicet ANSELMI FRANCISCI exstabit imago:
 Credite, Vos DOMINI, tum demum oblivia vestri
 Nominis evenient, cum sic mutaverit axem,
 Fœderibus Natura novis, ut flumine versò
 Gera Moguntiacas, Thuringas alluat oras,
 Qui tumidò fluctus convolvit gurgite, Rhenus:
 Euris occasu, Zephyrusq; feratur ab ortu.
 Sacra sub ANSELMO FRANCISCO festa celebrans
 Gaude, Tyrigetùm Schola, felix Principe tantò,
 In cujus tua tota salus stat salva salute:
 Impleat hic porrò factis ingentibus Orbem:
 Sic magno poterit vocem lassare Maroni:
 Hujus sub clypeo redeunt Tibi tempora rursus
 Aurea, dura Tibi quæ valdè aliquando fuere:
 Nam Tibi grande nefas civilia bella fuerunt
 Sæpius exitiò, prostratis undiq; Musis:
 Non licet hõcce locò, non hõc mihi tempore fas est
 Gesta recensitis bellorum evolvere fastis,
 Atq; novensilibus funesta Sororibus arma:
 Constat enim, quantis furialis Erinnys, & ipsa
 Rustica tempestas Corydonum exosa Dynastas
 Ærumnis seclò fuerit sedata priore:
 Omnia si tentem, tamen haud ea dicere possẽm,
 Sat fusè, non si pariter mihi vertice juxtim,
 Nectat odoratas & Smyrna & Mantua laurus:
 Quantus Athenæum Martis furor urserit annos
 Per triginta, ferox ubi tum Bellona vibrabat
 Sanguine pollutum repetitis cadibus ensẽm,
 Norunt, qui sexti vixerunt tempora seclì,
 Quin & adhuc vivunt, memori qui pectore tantas
 Enumerant strages, & stricta per arma Geranis
 Objectas Musis remoras grassante Gradivò:
 Quæ sint Aonij Cives incommoda passi,
 Heu! intestino Patriæ fervente tumultu,
 Non refero: nam si fortassis carmen in unum
 Gestarum nitat cumulos advertere rerum,
 Aggrederer, pol! opus, cui Clio nostra sit impar:
 Promptius hosce Lares alio traducere possẽm:
 Si partem tacuisse velim, quodcunq; relinquam,
 Tetrum erit, & dignum vix ulteriore relatu.
 Tanta molis erat, belli tolerasse flagella,
 Et mala dissidij Civilis sustinuisse.

Non tamen inflixit Pestis truculenta minora

Vulnera, depopulans miseram crudeliter Urbem,
Sapius, atque metens afflicti membra Lycæi:
Imprimis memoranda lues, quæ sevit annos
Ante novem, nostris feralis mœnibus, agris
Exitiosa, Scholæ funesta, gravissima cunctis:
Sustulit illa mihi, quæ spes erat unica, Gnatum
Moribus, obsequiò, studiò, pietate placentem,
(Horresco referens.) Et funere mersit acerbo:
Vox mihi labascit, doctorum quando Virorum
Facturam reputo, promiscua funera quando
Flebilibus totam fœdabant luctibus Urbem.
Hisce malis tandem posuit clementia finem
Cœlica, Vastator nostrisque recessit ab oris
Angelus, atque DEUS miserans meliora reduxit
Tempora, florentes quævis respirare Camenas
Cernimus, atque novis nunc viribus esse refectas,
Ut valeant lætò mox tollere júbila plausu.


Nunc tua fert animus DEUS Optume, Maxime, totò
Munera promeritis extollere pectore donis,
Hoc quod Athenæum tot sis tutatus in annos,
Hæc tenus innumeris ornaveris Et benefactis:
Victima nostrorum labiorum, ac hostia laudum
Sancta tuas, decet, ut divinas imbuat aras:
Hæc holocausta damus, devotâ mente precantes,
Ut porrò nostrum clemens tueare Lycæum,
Atque tuò sacrò discentes atque docentes
Flamine, ne possint Tibi displicuisse, gubernes.
Sic Tibi solvemus sine fine melismata laudum,
Et tot dicemus, quot mens capit intima, grates,
Quot diffusa valet præconia lingua profari,
Donec in Elysiis resonabunt júbila campis.

Lætitiæ veræ nova signa date ergo, Quirites,
Hæc DOMINI quoscunque tenet timor ullus, adeste,
Ipsius assiduò celebrantes nomina cantu:
Reddite gratificâ sævissima carmina voce
Illi, quem vastæ venerantur climata Terra.
Gloria, Summe, Tibi, Tibi laus, DEUS optume, Soli:
Quod sumus ac agimus, Tibi nos debere fatemur:
Te, quicquid vegetat vitalis Spiritus aura
Laudet, perpetuosque Tibi decernat honores.

Sic indicta puto terni bene júbila seclî!
Sed quis, quæso, mihi de tot presentibus edet,
Nunc ubi sint illi, quæ quarto festa parabant?
Secla futura dabunt hos, si quæ fortè futura:
Si non, in Cœlis tollemus, júbila cantu
Jucundò, lætos ducemus Et usque triumphos.
Qui tunc, Lector, eris fruiturus munere vitæ,
Quisquis eris, memori requiem pietate preceris
Æternam cineri nostro: Sic ibis ad astra!

salve posteritas! Maloribus atque precare
prospera quæque tuis: Istud & opto tibi!

T A N T U M!



Ya 6200

40

ULB Halle

3

004 654 811



10 17

91.1





seCVLa LabVntVr : taCitèqVefenesCit Hleræ,
Io! VetVs, aft VirIDans, fLorIDa, Læta sChoLa.

QVOD ITA

V FELIX FAU-

QVOD IN IMM
QVOD IN ACAD
QVOD IN OMN

INIS GLORIAM;
Æ INCREMENTUM;
EMOLUMENTUM
AT!

JUB

UM,

FESTU

ERTIUM,

IN

RANA,
integra tria,

Postquam

HELICO

RTENSI,

Omnibus Musar
Academicis hóc
diem eligenc

RIBUS, Civibusque
nino RECTORE prope-
ox adornandum

GEORG

OPHORUS

P

selß/

Medicinæ D
Electoralis

Comes, Archiater
is Erfurtensis,
p. t.

ACA

CTOR.



seXaginta
seCLa CVI totò peCtore sera preCor.
LyCæVM,

P. P. Dominicâ Jubilate, d. 17. (27.) Aprilis, Annò Æræ Christianæ ∞ lxx xcii.

ERFORDIÆ, Stannò GROSCHIANO.

2.

4,85

